

Pri. 22. num. 13.

25.

1773, 3

6

IOANNES HENRICVS FRICKE, D.

IVR. PROF. PVBL. ORD., ORDINIS IVRIDICI

H. T. PRODECANVS

VIRI PRAENOBI LISSIMI

GOTTLIEB RVDOLPHI LADEHOFF,
HAMBVRGENSIS,

SOLEMNIA IN AVGVRALIA

INDICIT,

PRAEMISSA COMPARATIONE

IVRIS NAVTICI RIGENSIS ET HAMBVR-
GENSIS ANTIQVI IN MATERIA
HAVARIARVM.

KILIAE HOLSATORVM,
LITTERIS MICH. FRIEDER. BARTSCHII,
ACAD. TYPOGR.



JOANNES HENRICAS ERICERI D

ALIUS JACOBUS HABEL OEDO AVDOLMIUS TAKHIDOLI

IN E. LUDOVICAM

ALIUS TRANSMISIO LIBRIS SIMIT

GOTTLOBE RUDOLPHI LADENHOF

WILHELMUS HANAUENSIS

SOTHEMIA NAVACARALIA

INDICAT

SCAVINUS COMITATIENSIS

IVARIS NAVALICII HICENSIIS ET HAMBVR


CENSIIS ANTIQVI IN MATERIA

HABARIAVUM

EX LIBRIS HORSTIORVM

FILIIERIS MICHAELIS FESTINIUS FESTINIANUS

ACED TICCO





§. I.

Vulgavit nuper vir consultissimus, egregiae virtutis in
domestico iure decus, GERARDVS OELRICHS,
civitatis Rigenſis, commercii maritim⁹ studio antiqui-
tus celebris, statuta, quae Gieſebertus MDXVII. con-
fecta autem. *Antiquum codicem Rigenſem de MCCLXX typis*
olim excludi curauit PVEENDORFIVS in appendice Tomi III.
obſeruationum. Vtriusque codicis *ius nauticum*, quod in anti-
quioribus statutis ab articulo CLVI. vsque ad articulum CLXIX,
in nouioribus autem libro XI. continetur, persimillimum est *co-*
dicis Hamburgensis nautici circa annum MCCLXXVI. conscripti,
quem LANGENBECKIVS in commentario ad *ius nauticum pa-*
triae suae edidit. Iam PVEENDORFIVS Rigenſe *ius ex Ham-*
burgensi esse haustum existimauit; LANGENBECKIVS autem,
ius illud Hamburgense esse vere domesticum & authenticum, nec
ab alio iure extraneo arcessitum. Quamuis equidem Pufendorfii
aliter

coniecturam verisimilem reiicere non ausim, id tamen certum est, *Langenbeckianum* codicem, quum senior sit aetate codice Rigenſi, non esse primam & authenticam legem, sed ex antiquiori lege depromtam, quae, quum temporis memoria non explet, domestica fuerit, an extranea, non adeo liquet. Caeterum cuique serio contemplaturo facile patet, vtrumque ius nauticum & *Hamburgense* & *Rigenſe* ex eodem tertio, quisquis ille sit, codice desumptu amicam fibi inuicem ferre in explanando opem, & maxime *Rigenſe* cuius exemplum correctiore manu exaratum videtur, prodeſſe *Hamburgensi*.

Praefaturo solemi inaugurationi doctorali non ab re mihi viſum, dissertationi auspicali de hauariarum discriminē addere florū quasi ſparitionem, & ex iure iſto Rigenſi ad iuris antiqui *Hamburgensis* comparationem in materia hauariarum pauca decerpere.

ni ciuitatis etiologiae etiamq[ue] dicitur §. II. *in quoque iuris*

In modo computandi pretium rerum collationi in hauaria grandi obnoxiarum *Ius Rigenſe antiquum* Art. CLXII. in eo congruit cum *Hamburgensi* codice Art. XXII., quod nauis, aequa ac merces, damnum mercium iactarum reparare debeat; ita nimis, vt nauis ex pretio suo aequaliter contribuat: "dat Schip scall (Hamb. addit. mede) gelden Mark Martlik" (Hamb. Marc Marc gelieck.)

In eo quoque conueniunt, quamvis in verbis discrepent, quod ex auro, argento aliisque rebus pretiosis tantummodo diuidium conferatur. Sic *Hamburgense* Art. XXXII. "welſt Mann „rede Geld by syck het — so scall he dar afgeven eenen Penningh to „Werpe-Gelde, dar dat Schip unne andere beholdene Goed twe „Penninghe gift." *Rigenſe nouum* cap. XVIII. plenius de omni hauaria

hauaria tum minori, cuius nullam facit mentionem ius Hambur-
gense & Rigense antiquum, tum grandi: "Leitsagengest (merces
, pilotarum) und Botzeld (merces scapharum conductitiarum)
, und allerley Ungelt sol men recknen na Marktale, sunder Gelt, ful-
, verpennige, Gotgesmide, gestempte Side und siden Gewand fall
, men recknen II Mark vor I." Quod perinde est, ac si dicas, pre-
tiosae res duarum marcarum tantum contribuant, quantum re-
liquae merces pro singulis marcis. Idem fere placitum verbis
iisdem *capite V.* praemissum.

In eo denique conspirat vtriusque ciuitatis ius antiquum,
vt nusquam determinetur, quo pretio merces iactae & seruatae,
vtrum eo, quo emuntur, an eo, quo veneunt vel venire potuiss-
sent, aestimari debeant.

Singularissima autem eaque iniquissima placuit *iuris Rigenis nouioris* conditoribus in contributionis modo dispositio. Aequissimum est enim, vt gemmae & margaritae, quamvis iis pa-
rum oneretur nauis, tantum pro pretio suo contribuant, quan-
tum ferrum & aliae res ponderosae conserunt. In ciiciendis re-
bus, ponderis, in seruatarum contributione, pretii ratio haben-
da. Eaque aequitas & decisionis causa firmata *l. 2. §. 2. ff. de leg.
Rhod.* Nihilominus ordinatum *capite IV.* "Dat (beholden Gut)
, fall man recknen na punt tale, wat Punt III M. wert is oder better,
, des fall eyn punt gaen vor twe," & *capite XVIII.* "Gut dat dar
, geworpen wart, des I Punt better is, denn III Mark silvers, fall
, gaen I Punt vor twe, und wat erger is, fall gaen Punth vor Punth,
, als idt manlige III Mark wert is." Quae si reputes ad capita V.
& XVIII., facile cognoscis, non solum res pretiosas, sed etiam
merces cariores aequiparari in contributione auro & argento.

Praeterea in nouioribus hisce statutis *Rigenibus capite XXII.*
de mercibus iactis ita statuitur: "Wenner Gudt geworpen wert

„van Noit wegen yn de Sehe, dat verworpen Gudt soll dat Schip
 „und dat beholden Gudt gelden, als idt yn dem Markede ge-
 „kofft is, und de Schipper soll van dem verworpen Gudts geine
 „Fracht hebbhen noch nemen.” Igitur aestimatio rerum iacta-
 rum fit emtionis pretio. Verba enim “als idt in dem Markte
 gekofft is,” intelligenda de bonis iactis, de quibus tota lex agit,
 nec detorquenda ad merces seruatas, quippe quarum nullo iure
 ad pretium, quo emitiae sunt, fit aestimatio. Quid quod in le-
 ge hac coniunguntur: Schip und dat beholden Gudt. Nauis non
 coemitur in foro, &, si taxanda esset pretio, quo comparata
 fuit, durissima foret lex. Potius itaque dicendum, legis con-
 ditores spectasse *ius Romanum*, quod de aestimatione rerum iacta-
 rum in *I. 2. §. 4. de leg. Rhod.* eundem in modum: “nec ad rem per-
 tinet, si haec, quae amissae sunt, pluris venire poterunt, quoniam
 „detrimenti, non lucri fit praestatio.”

Vtroque in capite, tam eo, quo merces, quarum pre-
 tium III. marcas excedit, argento comparantur, quam, quo
 merces iactae emtionis pretio taxantur, differt *ius Rigense nouum*
 a Statutis Hamburgensis ciuitatis, puta, a *statuto veteri* 1497.,
 quod in re naūtica placitis Wisbycensibus proprius accedit, & a
nouissimo statuto 1603. Ita quoque multa differentia in articulis
 reliquis emendatoris iuris Hamburgensis cuique, admodum le-
 uiter perlustranti, in oculos incurrit. Inutilis itaque frustra-
 neusque foret labor, si quis *ius Rigense nouum* pariter ac antiquum
 ex statutis istis Hamburgensis vellet enucleare. Vnde
 percipimus Rigensem ciuitatem, quamuis vla sit in legibus suis
 nauticis pangendis iure Hamburgensi antiquissimo, tamen in
 emendandis iis non vlam esse Hamburgensi statuto 1497., licet
 hoc antiquius sit statutis Rigenibus nouioribus.

§. III.

LANGEBECKIO anomala & prorsus peculiaris videtur sanctio Articuli XXII. iuris Hamburgensis, vbi ita: "So wor so en „Schip der Nocht willen Goed uithwerpet, dat Schip scall mede gel-„den Marc Marc gelieck, wart Mast ofte Toren gecorfen, de „Schip-here hebbet den Scaden alleen, darna werde Will-„köhre aane den, um de Willköhre scholen tügen, de in dem „Schepe do weren." Quam legem interpretatur ille: Iactu fa-cto & nauis & merces contribuant aequaliter. Malo autem de-iecto, rudentibusue incisis, damnum sit solius exercitoris. Con-tributio autem iactarum mercium ita fiat, vt viri boni (es wer-den Willköhre,) qui tempore tempestatis in naui fuerunt, eligan-tur, damnum, praeter illud, quod in armamentis rumpendo, deiiciendo vel incidendo factum fuerit (ane dem i. e. ohne dem, was gecorffen und gehauen,) aestimaturi. Ita vero ex eo, quod malus, caelus ob necessitatem, non veniat in contributionem, con-cludit, ius illud antiquum Hamburgense non ex Wisbyensi esse defunctum, sed esse peculiare ac originarium; quamuis postea in statuto 1497. haec correcta fint.

Verum enim vero fallitur multum vir egregius mendis libra-rii. Interdum quidem Willkör denotat partium consensum in arbitrum. Ipsi autem arbitri nusquam Willkōre nuncupantur. Et errasse virum vel inde patescit, quod eam interpretationem respnuunt verba: un de Willköhre scholen tügen. Namque tügen non est arbitrium facere, sed testimonium de re gesta dicere. Contra belle illustratur lex Hamburgensis, iuxta posita lege Ri-gensi correctiore. In statutis antiquis art. CLXII. ita exprimitur: „So wor eyn Schip durch Noetwillen gudt uith werpeth, dat Schip scall gedenk Mark Marklich wert de mast edder towe gekervet

„de

„de Schipper heft den Schaden alleene dar en wert wil
 „lekorē ane gedaen den willekorē sullen tugen
 „de stedes yn dem schepe weren;” & in statutis nouis
 P. XI. c. IV. “So eyn Schip yn Noit kumpt, und Gudt geworpen
 „wert, kumpt dat Schipp beholden fort myt dem andern Ende dat
 „Schip und dat Gudt, dat dar beholden wert, fall dat verloren
 „Gudt gelden – wert averst Mast oder Thowe gekerver, so
 „hefft de Schiphore den schaden alleine dar werden Vor
 „wordē an gedaen, und de Vorworde sullen tugen
 „dejennen, de in dem Schepe waren, und allerleye
 „Dinge de dar gescheen bynen Scheps Bordt van Schelinge oder
 „Ungerichte, dat mōgen thūgen de jennen, de binnen Schipsborde
 „waren, und dem de Sake nicht angeith, und er egen Broit etten.”
 Quorum in interpretatione primum notes velim, **Willkōhre** significare consensum plurium quorum interest, cumque ultro-
 neum ac liberum, siue deliberationes super re habitas. Idem
 autem quod in Hamburgensi & Rigeni iure dicitur **Willkōhre**, in
 Rigeni nouiore transfertur: **Vorworde**, id est: sermones,
 qui, priusquam quid fiat, cum aliquo conferuntur. Deinde te-
 neas, particulam ne siue en modo esse superfluum, v. c. Id
 ne schall neen Mann, es soll kein Mann, so en darf he man,
 so darf er nur, ock en darf, auch darf ic., modo in adiectione
 vocum idem esse quod Latinorum: *nisi* v. c. Id en sy also
 dat he, es sey denn, daß er, idt en were also, es wäre denn,
 idt ne do ehme not, ofte he ne hebbe Orlof, es sey denn,
 daß es ihm Noth thāte oder er Urlaub hättet. Denique vix mo-
 nendum, ane doen esse anthun, & ane gedaen siue an gedaen,
 angethan.

Quibus praemissis hoc erit interpretamentum: Malo de-
 jecto, ruptisue rudentibus, damnum sentit exercitor, nisi de-
 jectio

iectio & incisio facta fuerit re deliberata, ita ut ii, qui in nauem
aderant & quorum, ut fieret, intererat, sermones & consilium
in commuue contulerint. Quam in rem testimonium ferunto
qui eo tempore in nauem fuerunt.

Ita vero omni ex parte eadem praecipit ius Rigense, ac
Wisbycense & alia. Nauis magister, vbi, iactus ut fiat, aut an-
chorae & malus ut caedantur, ex re esse videatur, conuocet nauem
nautas & mercatores, si qui forsan praesentes sint in nauem, illis pe-
riculum exponat & consilium commune capiat. Sed sufficit, si
modo probetur, ita esse in communem salutem deliberatum.
Dissentientibus enim plerisque, nihilo fecius sit iactus & arma-
mentorum abruptio. Iuret autem magister nauis cum tribus so-
ciis nautis in portu, vbi contributio instituenda, damnum ne-
cessitate cogente esse factum. Quod si uero re non deliberata &
temere iactum aut caesum, damnum solius est exercitoris.

Deceperunt LANGENBECKIVM vocula corrupta aene dicim
& omissione particulae: ne, quae cum particula praecedenti dar
contracta & in na depraavata,

Caeterum statutum nouum Rigense antiqui verbis recitatis
adiungit normam generalem loco incepto, ut nempe eodem mo-
do testes audiantur, quoties intra nauem dissidia exorta, illatae
iniuriae & delicta perpetrata (allerley Dinge, der dar gescheen bin-
nen Schipshoort van Schelinge oder Ungerichte) diiudicanda & pu-
nienda sint.

Testes incorrupti, certi atque integri sunt, qui proprio
victu viuant „de er egen Broit eten!“ Quis quoquo erit talis testis,
si merces iactae; utrum mercator, qui iactarum rerum resarcitionem
aut depositum aut declinare studet; an nauis magister cum

B

turba

turba nautarum famulari, eodem forsan studio, ut contributio-
nem a naui faciendam subterfugiat, inquinatus? Sunt nautae testes
illi, qui olim mercedem tantum capiebant ab exercitore, non
victum praeter eam. At nautis quoque suae merces in naui
(Schiffskinderguth, Führung), quibus in praemium laborum lo-
cus gratuitus designatur. Ideoque sublestae esse fidei videntur.
Verum hanc ob causam non reiecerunt eorum testimonium le-
ges nauticae. Olim enim ratione mercium suarum ex confue-
tudine communi, cui suffragatur *ius Wisbycense* art. XX., im-
munes fuerunt a contributione. Hodie a magistro & mercedem
& victum accipiunt, & ratione mercium *iure Hamburgensi* qui-
dem in Statuti P. II. Tit. XVI. art. 7. pristino favore gaudent, at
iure Lubeckensi si praeter dimidium ponderis nautici (über halbe
Last), *iure Rigenensi nouiori*, si praeter unum pondus iactum sit, con-
tribuunt; ius tamen antiquum mansit.

§. IV.

In articulo XXIII. iuris Hamburgensis antiqui haec statuta: „So
„wen so en Schip geladen is to dem Schore, un wegsegelt un-
„geschuldiget van den Bruchtsiden, kumbt den goede jigt to van
„werpende, dar ne scall de Schipp-Heere kene Noth umme
„lieden. Wert oek en Schip-Heere belet mit guden lüden un ge-
„schuldiget, dat sin Schip sie to sehr laden, unde segelt he darbauen
„hemweg, un wert des Goedes wat geworpen, dat scall de Schip-
„Heere alleen gelden“. Si nauis itaque a mercatoribus incusatur,
quod plus iusto sit onerata, & nihilominus magister soluat, da-
mnum ex iactu factu solus luit exercitor. Si vero iusto cum one-
re nauigat nauis & iactus sit: dor scall de Schipp-Heere kene Noth
umme lieden. Anne igitur omnino liber est a damni resarcitione,
& plane immunis a contributione ratione nauis saluae? LAN-

GEN-

GENBECKIVS in commentario ad Stat. Hamb. P. II. Tit. XIV. art. 24. interpretatur; soll der Schiffer keine Noth um leiden, er für sich und allein nicht, sondern das Werken macht Averie. Groß Dexteram hanc esse interpretationem, testatur ius Rigenſe nouum, quod capite VI. ita habet: „dar soll de schipper keine Noit umb sieden, mer mark martelike gelyct“, id est: non solus fert damnum nauis dominus, sed contributio fiat aequalis.

In eodem articulo iuris Hamburgenſis verba: to dem Schore, ſive, vt in codice Stampaehliens legitur: to dem Schare, ambiguo deriuat ille. Certam in portu stationem ita dictam a facello Mariae thom Schare, aut a porta St. Anſcharii, Scharthor, opinatur, quibus tamen addit, forſan Schare idem eſſe, quod Anglis Schore, nimirum ripa, littus. Eamque ultimam veram eſſe vocis ſignificationem afferit in notis prologo in calce adiectis. Nec refellit virum haec opinio. In antiquo Rigenſe iure art. CLXIII. eadem occurunt: So menne ein Schip geladen ys tho deme ſcure. Caeterum in iure Rigenſe nouiore c. IV. pariter ac in statutis Hamburgenſibus c. l. omitta demonstratio.

§. V.

Ad caput VII. statuti noui Rigenſis, quod, si iactarum mercium quantitatē, quae ibi eſt grandior, excipias, cum Rigenſe antiquo art. CLXVII. antiquo Hamburgenſe art. XXII., & statutis Lubecenſibus L. VI. Tit. II. a. 2. congruit, non possum, quin gravissimum notem STEINII ad ius Lubecenſe errorem, qui, molitoties iaepiens, concludit inde, banariam pro pondere iactarum mercium eſſe vel communem (minorem) vel grandem; illam, si dimidium modo ponderis, quod laſtam vocant, hanc, si ultra laſtam electum fuerit. Ex iuris dispositione, quae nautas in laborum ac periculi solatum ratione mercium, quas gratis sibi

ipsis vehunt, liberat contributionis onere, si infra legitimam quantitatem, nicht über eine halbe Last, iactum sit, temere colligitur spurius hicce modulus.

Qualis vero sit mensura halbe Last, vtrum nauis, an mercium, quaeritur. LANGENBECKIVS ad statutum Hamburgense P. II. Tit. XVI. a. 7. intelligit nauis mensuram, ita vt halbe Last idem sit, quod die halbe Ladung. Adfert in rem suam dictiōnem statuti veteris P. XXVIII., vbi dat Schip van ganzer Last significat totum nauis onus. Enimuero, vt ei adstipuler, a me impetrare non possum. Nauis amplitudo aestimatur ex lastarum, quas capit, numero; reuera autem *lasta* est pondus mercium, quarum vectura determinatur pro singulis lastis. Quam ob rem in dubio mercium pondus intelligendum erit, nisi verborum ratio nauis onus indigit, v. c. die ganze Last, die halbe Last, vbi nimur utimur hac voce nauis capacitatē & onus designando. Ita vero haud negauerim, verba *iuris nautici Hamburgensis antiqui art. XXVII. & statuti veteris P. XXXVIII.* „En Scipman geldet „nicht van siner Boring tot Warping ehr halver Last, men war „pet man baven halver Last ic.,,, ac similiter verba *iuris Rigen sis antiqui art. CLXVII.* „tho werfunghe tho halver Last, sunder „werfet over de halve Last, he gelt mede ic.,,, accipi posse ratio ne onustae nauis; ast erroneum esse eum significatum, docent nos *Ius Lubecense & statutum nouum Rigense*. Illud L. 6. Tit. 2. a. 2. „wanu Guth fürstehender Noth halber in die See geworfen wird, da „darf der Schiffer, Steuermann und Bootsmann den Schaden „nicht gelsten helfen, so ferne über eine halbe Last schwer „nicht geworfen wird; ist es aber darüber, so müssen sie nach ih rer quota mit bezahlen helfen, so viel sie über ihre Führung darin „haben werden“. Vbi adiectio: eine, aperte ac palam innuit *mercium lastam*, quarum plures demum onus nauis, die Last,

sive

(XIII).

sive die Ladung, conficiunt. *Ius Rigense nouum* autem maximum ad rem habet momentum. Fauet nautis & quantitatem legitimam auget ita: „Eyn Schipman geldet nicht von siner Foringe tho Werpgelde, so ferne men werpt l. Last oder darunter, oversi werpet men bowen l. Last, so soll he midde gelden alle wat denne geworpen wert“. Quod si auctionem hanc quantitatem non de mercium lasta (eine Last Waaren), sed de nauis lastis (Schiffss-Ladung) velis intelligere, nullam omnino cogitare tibi potes nautarum contributionem. Omni enim nauis onere iacto (ganze Last), sive nullis bonis, sub quibus etiam nautarum sunt reculae, iactu seruatis, nulla cogitatur contributio.

§. VI.

Singularem denique & ab omnibus reliquis nauticis legibus recessionem *ius Rigense nouum* capite VIII. habet legem: „Wenner ein Schip oder mehr yn de Dunen komen, also dat se van Noit wegen yn de Rige nicht kommen mögen, wat dat Schip denne kostet in de Rige to bringende, so soll gelden dat Schip dat Fern del, und dat Gudt so darynen is dre Dele, und dat Gudt soll men gelden na Last tale.“

* * * * *

Plura non persequor, sed conuerto me ad

PRAENOBILISSIMVM IVRIVM CANDIDATVM

GOTTLIEB RVDOLPHVM LADEHOFF
cuius causa haec scripta sunt. Exposuit is Ordini Nostro studiorum vitaeque curriculum his verbis:

Patriam nactus sum Hamburgum, vbi primam lucem adspexi d. 12 Maj. Ao. 1744. Patre genitus HENRICO IVSTO LADEHOFF, matrem agnosco ANNAM CATHARINAM SCHILDTEN, cuius mortem eo acerbus lugeo, quo minus noscere illam diu mihi contigerit. Nondum enim duos impleveram annos, cum mater haec dilecta morte mihi eriperetur. sed ipsa haec praematura mors patri meo caussa fuit, eo maiorem in educando filio curam adhibendi. Quapropter ingenii mei indolem animique voluntatem sequutus, ad studia ut inumberem voluit. Quem in finem primum viri reverendi BOCKHORSTII, tunc temporis reuerendi Ministerii Hambugensis candidati, iamiam Pastoris vigilantissimi, informatione fructus sum, cuius ope atque industria factum est, vt in Iohanneum Hamburgense adscendere possem. Non est, quod multis Iohannei huius laudes celebrem, sat erit dictu, viros celeberrimos atque eruditissimos, Rectorem scilicet I. S. MÜLLERVM & Correctorem I. C. MÜLLERVM tunc temporis Scholae huic praesuisse. Quem quidem priorem inter viuos vt reperirem, mihi non contigit, posteriori autem, iam Rectori meritissimo, mox ipse gratias agam, pro adhibita in me cura atque industria, quos possum maximas. Peractis hic magna cum utilitate tribus annis, in Gymnasium Hamburgense transscendi, vbi praelectionibus historiae iuris romani atque institutionum viri celeberrimi atque doctissimi Dn. WYNDERLICHII intersui, nec non praelectionibus Mathezeos Dn. Büschii, viri ingenio, doctrina, humanitate, & vitae actionumque integritate inter caeteros eminentis. Iam aderat tempus Academiam eligendi. Ductus igitur virorum optimorum consilio, Lipsiam profectus sum, in qua praestantissima Musarum sede, per quatuor annos litteris operam dedi. Supersedeo autem in
hac

hac breuicula vitae enarratione quascunque, quibus hic gauifus sum, paelectiones allegare, sufficiet dixisse, me in huma-
nioribus praeſertim GELLERTVM & CLODIVM ductores ha-
buisse, ex quorum institutionibus me nihil percepisse vtilita-
tis, vix credibile est; tanta illorum fama est & gloria! In iuri-
dicis autem virorum paeſtantissimorum & doctissimorum SAM-
METII, ZOLLERI, SCHOTTII &c. paelectionibus uſus sum,
quibus quidem viris, tantum debeo, ut, quasquas etiam illis
agerem gratias, meritis tamen illorum ſemper minores fint.
Absolutis igitur hic, vt iam dixi, quatuor annis, non inuitu
patre conſilium cepi Kiliam proficisciendi, ibique, ſummi vt
mihi darentur in vtroque iure honores, omni qua decet, & qua
fieri potuit, obſeruantia precatus sum.

Precibus Nobis oblatis, vt ſummus in vtroque iure honor
ipſi impertiretur, admissus ad examen & expositis textibus legi-
timis peracto que examine haud indignum eum iudicauimus, qui
titulo, gradu ac dignitate iuris vtriusque doctoris condecora-
retur.

Iam igitur ex decreto Ordinis vnanimi futura XXI. Augu-
ſti die obligationem ex quaſi contractu ad princip. 1. de obligationibus,
quaſi ex contractu naſcuntur lectione cursoria explicabit &
diftationem inauguralem de hauariarum diſcrimine in primis ex
legibus nauticis Germaniae ſep̄temtrionalis publice defendet, qui-
bus laboribus exantlatiſ iuris vtriusque doctoris nomen, titu-
lum ac honorem ipſi ritu conſuetō conferam.

Quos actus ſolemnes vt ILLVSTRISSIMI IN SANCTI-
ORI SENATV ADMINISTRI, CVRATORES ACADEMIAE
SPLEN-

(XVI)

SPLENDIDISSIMI, MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR,
PROFESSORES AC PATRES ACADEMIAE GRAVISSIMI, HO-
SPITES SVIS QVISQVE TITVLIS ATQVE HONORIEVS
CONSPICVI, CIVES ACADEMIAE GENEROSISSIMI ET NO-
BILISSIMI praesentia sua insignire haud deditenantur summo-
pere, officiose & decenter rogo atque obtestor. P. P. in Aca-
demia Christiana Albertina die VIII. Aug. MDCCLXXIII.



ALLEGORIA IN HONOREM VITAE
HONORIS ET GLORIE
ACADEMIAE CHRISTIANAE ALBERTINAE
ET UNIVERSITATIS
TOMAS VI IMPERATORI IIII IN EDITIONE
TAMEN AGADA ENTOARIO EXTRIMISCA VITAE
HONORIS

Kiel, Diss.; 1777-1800



5b,

Pr. 22. num. 13.

1723, 3

6
—

B.I.G.

Black

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
0	
1	Centimetres
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	

Farbkarte #13



25
1723, 3
GOTTLIEB RVDOLPHI LADEHOFF,
SOLEMNIA IN AVGVRALIA
INDICIT,

VIRI PRAENOBILISSIMI
IVR. PROF. PVBL. ORD., ORDINIS IVRIDICI
H. T. PRODECANVS
PRAEMISSA COMPARATIONE
IVRIS NAVTICI RIGENSIS ET HAMBVR-
GENSIS ANTIQVI IN MATERIA
HAVARIARVM.

KILIAE HOLSTATORVM,
LITTERIS MICH. FRIEDER. BARTSCHII,
ACAD. TYPOGR.

